Esdras I. 5. 13

2

anno autem primo cyri regis babillonis cyrus rex pposuit ...
ut domus dei edificaretur. Nam et uasa sacra pdicti aurea et ar
gentea que nabuchodonosor tulerat de templo quod erat
in hierusalem transportauerat ea in templo suo babillonis.
et data sunt sessabassar a zorobabulo quem et principem consti
tuit. Dixitque ei. haec uasa tolle et uade et pone ea in tem
plo quod est in hierusalem et domus dei aedificetur in loco suo.
Tunc ergo sessabassar ille ueniens posuit fundamenta templi dei
in hierusalem et ex eo tempore usque nunc aedificatur et necdum
completum est. Nunc ergo si uidetur regi bonum recenseatur. Esdras I. 5. 17
in bibliotheca regis que est in babillone. Verum nam ... p
regem iussum sit ut aedificetur domus dei in hierusalem. et uo
luntatem regis super hec remittat ad nos. Tunc darius rex
precepit et recensitum est in bibliotheca librorum quae erant reposita
in babillone. Et inuentum est in echatanis quod est castrum
in media prouincia uolumen unum in quo talis scriptus erat in eo
commentarius. Anno primo cyri regis. cyrus rex decreuit ut
domus dei que est in hierusalem aedificaretur in loco ubi immolant
hostias et ut ponant fundamenta portantia altitudinem
cubitorum sexaginta et latitudinem cubitorum sexaginta.
Ordines de lapidibus impolitis tres et ordinem de lignis nouis.
Sumptus autem de domo regis dabuntur. Sed et uasa templi dei aurea
et argentea que nabuchodonosor tulerat de templo hierusalem
et adtulerat ea in babillonem. Reddantur et referantur
in templo hierusalem in locum suum que deposita in templo dei